COMMENTATIO PHI
DE
# HEBRAEORVM
SIVE
# MAGISTR

QVA
VIRO
CLARISSIMO ATQVE
# IOANNI GOD
# EHWA
ELBINGEN
# DE HONOR
AB AMPLISS
PHILOSOPHORV
ILLI RITE COL
GRATVLATVR

SIMVLQVE VARIA N
*INPRIMIS MATTH.*
Ihr solt euch nicht Mei
INTERPRETAT
WILHELMV
GEDANENSI
SACR. LITTERARVM

IENA
LITTERIS CROEKERIANI

) PHILOLOGICA
E
M RABBINIS
VE
STRIS

V A
R O
QVE DOCTISSIMO
DDOFREDO
ALT
GENSI
NORIBVS
LISSIMO
RVM ORDINE
COLLATIS
VLATVR

RIA N. T. LOCA
*TTH. XXIII. v. 8.*
Meister nennen lassen
RETATVR
MVS HILL
NENSIS
RARVM CVLTOR.

N A E
RIANIS, M DCC XXXXI.

9.

# VIR CLARISSIME
# ATQVE DOCTISSIME


iu iam fuit inter nos ſuauiſſima animorum aeque ac ſtudiorum coniunctio: ita vt neutri boni aut mali quid acccciderit, quo non ſimul alter laetitia aut dolore affectus fuerit. Hinc multo animi ardore occaſionem opportunam quaeſiui gratum pro ſincerrima *Tua* amicitia, *Amice optime*, meum animum publice *Ti-*

*bi* conteſtandi. Tandem ſe illa obtulit. Sed quaenam? proh dolor! collati *Tibi* ſunt ab Ampliſſimo Philoſophorum Ordine ſummi honores, atque in *Magiſtrum Doctoremque* Philoſophiae promotus es. Sane cum animo id agitares, minime in mentem *Tibi* notatu dignum *Seruatoris* noſtri effatum reuocaſti: *Nolite vos vocari Magiſter.* Quid iam proſunt tanti labores, tanta diligentia in audiendo *Viros eruditiſſimos*, in eruendis veritatibus naturae atque gratiae, in euoluendis et Viuorum et Mortuorum ſcriptis? Quem in finem omnia iſta? vt gradum atque iura Magiſtri obtineas? Bonam cauſſam agis. Et ego, amicus *Tibi*, de hiſce honoribus gratulari aggredior! immo aggredior: noli turbare animum *Tuum*. Perluſtraui verba *Summi Magiſtri* atque in illis nihil incommodi in *Te* redundare cognoui. Minime *Te* tangunt, cum huncce titulum non animo

Pha-

Pharisaico affectares; sed animo discipulis Christi digno: qui, cum veritates humanas tum diuinas pro viribus et quantum fieri potest, aliis tradere atque promulgare student; atque ita ipsi docendo alios veritates eo profundius introspiciunt. Accipe igitur, *Vir clarissime*, *Amicorum optime*, hasce pagellas eo, quo in me semper fuisti animo. Faxit Deus! vt omnia *Tibi* ex voto succedant, *Tibi*que vires sufficientes largiatur, quo gloriam suam magis magisque illustrare valeas, atque tandem ad eiusmodi munus *Te* euehat, quo DEO atque ECCLESIAE SVAE quam optime inseruire queas commodis.

Vale *Amice*, ac in posterum quoque
faue gratulanti.



בע״ה

Nemo ignorat, quantum nobis cognitio antiquitatum Romanorum Graecorumque ſcriptorum, praeſtet vſum, quo eo facilius certiusque eorum ſenſum aſſequi queamus. Non alia eſt ratio ſcriptorum, quae ex diuina inſpiratione originem ſuam trahunt. Quantae, quantae loquutiones et expreſſiones in illis occurrunt, quae non niſi perſpectis antiquis Iudaeorum ritibus exponi atque intelligi poſſunt. * Inter hos quoque vſum ſuum praeſtat notitia de HEBRAEORVM RABBINIS. Haud abſurdum itaque erit, de his breuiter ſtrictimque aliquid dicere.

§. II.

Iudaeorum Doctoribus non ex eo, quo ſtudia ſacra & profana inter illos floruere, certi honorum tituli quoque in vſu fuere; ſed ſucceſſu temporis ſequen-

* Conf. VIR CELEB. IOANNES LEONHARDVS RECKENBERGERVS, PATRONVS MEVS ATQVE PRAECEPTOR ſumma obſeruantia aetatem proſequendus in *ſacris Iudaeorum ritibus antiquis*. §. XXXVIII. et XXXIX. Prolegom.

ſequentes; רַב ,רִבִּי ,רַבִּי ,רַבָּן in conſuetudinem venerunt. Olim iuuentus a *patribus familias*, *Sacerdotibus*, *Leuitis* et *Prophetis* inſtituebatur, nec vllibi in ſacris V. T. legitur litteris nomen *Rabbi* aut aliud ex modo allatis eis adiunctum: id quod vero in N. T. eo frequentius occurrit. Cum hac re concordant quoque Rabbini: *Secula prima*, ſcribit RABBI NATHAN, a) *quae erant praeſtantiſſima non opus habebant ſe ampliare* (titulis) *neque per Rabban*, *neque per Rabbi*, *neque per Rabb*, *tam Sapientes Babyloniae*, *quam Sapientes terrae Iſraelis. Nam Hillel aſcendit ex Babylonia*, *neque fuit appellatum Rabbini titulo nomen eius*. Ex his itaque conſtat ante HILLELIS tempora haecce dignitatis nomina in vſu haud fuiſſe. Celebris vero ille HILLEL tempora Natiuitatis CHRISTI attigerit, et iuxta ſupputationem IO. LIGHTFOOTI b) obierit anno aetatis SERVATORIS noſtri duodecimo. Coniicere inde licet, titulos hos temporibus circa Natiuitatem CHRISTI ortum ſuum debere. Accurate et ad annum definire ortum illorum, non humanae ſortis eſt; dum Rabbini ipſi tacent.

## §. III.

Aeque difficile eſt inueſtigare quanam OCCASIONE et ISTO CVR TEMPORE titulorum vſus apud Iudaeos inualuerit. Si coniecturis locum dare volumus, ecce duas IO. LIGHTFOOTI c) rationes: *Prima*, inquit, *in lite iſta inter diſceptantes Schammai*

a) In *Lexico Aruch* in voce אביי. vid. IOANNES BVXTORFFIVS *in abbreuiat.* ſub lit. ר

b) In *deſcriptione templi Hieroſol.* Vol. I. oper. pag. 611.

c) In *Harmon. Euangeliſt.* Vol. II. oper. pag. 378.

*mai et Hillelis discipulos, diu iam tum prouecta, est fundata, vtpote qui super omni fere re ad Scotistarum instar et Thomistarum, variam tulerunt sententiam: illi autem sic ex vtraque parte dissidentes titulos sibi, quasi in suppetias vocantes, arrogarunt. Secunda*, pergit, *in eo fundata est, quod summe cum essent superbi, autumarunt, se ad apicem atque culmen litterarum peruenisse.*

## §. IV.

PRIMVS, qui inter Doctores Iudaicos obtinuit TITVLVS fuit רבן RABBAN, omnium praestantissimus, *Magnatem* potius ac *Principem*, quam *Doctorem* denotans. *Ornati* enim *illo* fuerunt *septem* vltimi *Synedrii Praesides* et HILLELIS *Posteri.* Primus, RABBAN SIMEON filius HILLELIS d). Videtur ille SIMEON fuisse, qui CHRISTVM brachiis sustulit, *Luc. II.* Secundus, RABBAN GAMALIEL SENIOR filius SIMEONIS. Habetur PAVLI Apostoli Doctor in Iudaismo, *Act. XXII, 3.* Tertius, RABBAN SIMEON II., filius GAMALIELIS SENIORIS, HILLELIS pronepos, periit in excidio templi. Quartus, RABBAN IOCHANAN BEN ZACCAI, qui non ex posteris HILLELIS fuit, sed modo eius discipulus: et excisa HIEROSOLYMA in vrbe IAFNE Synedrium administrabat. Quintus, RABBAN GAMALIEL II., filius SIMEONIS II., HILLELIS abnepos, qui, minorennis adhuc Patre suo interfecto, IOCHANANI demum in IAFNE successit. Sextus, RABBAN SIMEON III., filius GAMALIELIS II. Septimus denique RABBAN GAMALIEL III. e), in quo

d) in *Tzemach* legitur: *Rabban* SIMEON *filius* HILLELIS, *primus fuit appellatus nomine* RABBAN.

e) Hic fuit filius RABBI IEHVDAE, qui erat filius SIMEONIS II. Qui in serie Praesidum Synedrii quidem successit, titulum

quo et Synedrium et titulus *Rabban*, ducentos et quod excurrit annos solemnis, exspirarunt f).

§. V.

Circa hoc ipsum tempus aliis *Hebraeorum Doctoribus* tituli רַב ,רִבִּי ,רַבִּי dabantur. Hi aeque ac רַבָּן descendunt a Radice רבב, quae *magnificare*, *extollere se*, *principatum sibi arrogare* significat. רַב igitur ratione etymi inuoluit τὸ esse *magnum*, *amplum* siue *aetate*, siue *corpore*, siue *dignitate* tam *ciuili*, quam *ecclesiastica* siue *doctrina* g). Vltimus inprimis significatus hic obtinet, scilicet, *doctrina magnum atque excellentem*, quem nos MAGISTRVM vel DOCTOREM appellare solemus. Cum suffixo י essentialiter seruienti oritur forma רַבִּי *Magister*. רִבִּי idem est & dialectum Hierosolymitanam prodit. His titulis ratione *etymologiae* nulla alia intercedit *differentia* nisi quod רַבִּי et רִבִּי iis, qui in *terra Israelitica*: רַב vero iis, qui in *Academiis Babylonicis Magistri gradum* consequuti fuerant, attribueretur. Pro רַב Babylonii quoque vsurpabant מָר quod proprie *Dominum* denotat. h) Differunt tamen *gradu dignitatis*, ita vt רַב sit infimus, רַבִּי et רִבִּי eexcellentior, רַבָּן vero praestantissimus Doctorum Iudaicorum titulus i).



vero *Rabban* non accepit; sed רַבִּי יְהוּדָה הַנָּשִׂיא *Rabbi Iehuda Princeps* et a Sanctitate רַבֵּנוּ הַקָּדוֹשׁ *Rabbi noster sanctus* et κατ' ἐξοχὴν רַבִּי *Rabbi* vocatus est. Collegit *Misnajoth*.

f) vid. plur. IO. LIGHTFOOTVS in *descriptione templi Hierosol.* Vol. I. oper. pag. 611. IO. BVXTORFIVS in *Abbreuiat. Hebr.* sub lit. ר pag. 186.

g) vid. IO. BVXTORFIVS in *Lex. Talm.* col. 2171.

h) Hinc illud RABBINORVM: *Omne* מָר *et* רַב *est ex Babylonia et omne* רִבִּי *est ex terra Israelis.* vid. IO. BVXTORFIVS in *Lex. Talm.* col. 1246.

i) Scribit enim R. NATHAN

## §. VI.

Verum enim vero videtur nomen RABBI temporibus CHRISTI *generaliter sumtum* magisque vsitatum fuisse reliquis. Id ex eo colligere licet, quod in N. T. solummodo occurrit *forma Rabbi* quam et in hunc vsque diem Iudaei amant; et graeco idiomate διδάσκαλος quod Hebraeorum רַבִּי exprimit. *Ioh. I, 9.* Bis vero exstat ῥαββονὶ *Marc. X, 51.* et ῥαββουνὶ *Ioh. XX, 16.* ab Hebraeorum רִבּוֹן Dominus cum י afformatiuo essentialiter seruienti, *i cum a et o cum u alternante* quae forma ad dialectum Hierosolymitanam est expressa.

## §. VII.

Attamen non vnicuilibet, quamuis in lege versatissimo, statim *Rabbi titulus* imponebatur, neque ad publicum docendi concionandique munus admittebatur, nisi prius ordinatus fuerit k). Fuit itaque *Rabbi titulus* distinctiuus cuiusque ordinati, quo cohonestabatur cum ordinatus est *Magister.* Et de hac promotione neque *Opifices* aut *Mechanici* excludebantur, l) si modo studio Legis sufficienter essent imbuti.

in *Lex Aruch* sub voce אביי: *ordo in ore omnium sic est, Maior est Rabbi, quam Rabb, et maior est Rabban, quam Rabbi et maior est qui nomine suo* (simplici) *vocatur quam Rabban.* vid. IO. BVXTORFIVS in *Abbreuiat. Hebraeor.* sub lit. ר pag. 189. sequ.

k) IVCHASIN fol. 56. *Tempore ordinationem praecedente patris appellatione gaudebat, vt* BEN BETIRAH; *sed post ordinationem vocabatur* RABBI IOSHVA BEN BETIRAH. vid. IO. LIGHTFOOTVS in *Harm. quat. Euangelist.* Vol I. oper. pag. 478.

l) Quo cum *consentientem* IO. LIGHTFOOTVS, *Maimonidem,* in *Harmon. quat. Euangelist.* profert, Vol. I. oper. pag. 478. *Quidam*

buti. Ex quo capite Iudaei, quamquam IESVM NAZARENVM *fabrum* habuerunt; *Rabbi* tamen titulum ei denegare non poterant.

## §. VIII.

Circa promotionem ipsam certae, sed minus splendidae erant ceremoniae atque pro temporum conditionibus variabant m). Communissime manuum impositione et in primis post CHRISTI tempora sola *appellatione Rabbi* peragebatur n). Praeterea eo quoque respiciebant *Promotores* seu χειροθέται vt is, qui magistri honores petebat in Doctorum scholis tantum profecisse ostenderet, quantum ad munus docendi requirebatur iustamque aetatem consequutus esset, atque in doctrina aeque ac vita se illis satis superque probasset. Recentiorum vero aetate nullum praeibat eruditionis ac vitae examen. Sufficiebat, *Illum* praesentibus aliis Rabbinis indolem suam ostendisse, nomenque suum apud Synagogae Recto-

 rem

*dam e praecipuis regni Israelitici sapientibus fuere ligni sectores, aquae eductores; quidam coeci, qui tamen se in lege die nocteque exercebant, atque ita magni Traditionis Magistri euasere* in *Talm. Torah. Perk. I.*

m) vid. IO. LEONH. RECKENBERGERVS in *sacris Iudaeorum ritibus antiqu.* Part. II. Cap. I. §. 565.

n) *Quomodo fit ordinatio?* inquit MAIMONIDES, *non quod semper manus Senioris ordinandi capiti imponant, sed quod eum vocent* RABBI *eique dicant:* ECCE ORDINATVS ES ET POTESTATEM IVDICANDI HABES. vid. IO. LIGHTFOOTVS in *Harmon. quatuor Euangelist.* Vol. I. oper. pag. 431. it. IVCHASIN fol. 60. *Nec promotio solum cum manu fiebat, sicut fecit Moses Iosuae* (Deut. XXXIV, 9. Num. XXVII, 43.) *sed etiam cum sermone duntaxat: Sufficit si dicat,* EGO PROMOVEO TE RABBINVM, ESTO PROMOTVS scil. *Magister* vel *Rabbi*. vid. IO. BVXTORFIVS in *Lex. Talm.* col. 1498.

o) vid.

rem, in qua inſtitutus fuit, profeſſum eſſe atque gradum hunc ab eo petiiſſe o).

## §. IX.

Huiusmodi promotus aut ordinatus deinde ſolenniter vocabatur RABBI. Attamen id obſeruabatur diſcrimen: quamdiu Promotor cuiusdam Magiſtri Hebraei viuebat, tamdiu promotus non audiebat רבי ſed חבר *Chabber* quod *collegam*, *diſcipulum* ſignificat. Et id quidem ex hac ratione, quod eſſet diſcipulus ſapiens ad docendum aptus iudicatus et promulgatus a ſuo Promotore et Praeceptore, cum quo parem honoris titulum ferre indecorum iudicabant. Quo vero diſtingueretur ab iis qui non promoti erant aut in ſubſelliis adhuc inſtituebantur, *nomen Promotoris* ipſi adiungebatur e. g. *Simeon Ben Elieſer* חבר *Rabbi Iehudae Sancti.* Dein fatis defuncto Promotore ſuo *Rabbi* titulum plenarie et ſine reſtrictione accipiebat et vocabatur e. g. *Rabbi Simeon Ben Elieſer.* Porro praeſente ac docente ſuo Promotore aut *ſedebat inferior* in pauimento aut *ſtabat* honoris cauſſa p).

## § X.

Recentiori aetate *nouum* Iudaei in Germania effinxerunt *titulum* a trecentis circiter annis illis vſitatum; nempe מורנו *Morenu* q): *Rabbinatu ſuperiorem* adhuc dignitatis gradum denotat et non, niſi *in Magiſtrum*

o) vid. IO. BVXTORFIVS in *Synagoga Iudaica*, pag. 667. vbi ſimul *ritus renuntiationis*, qui eiusdem aetatis ſunt, legi poſſunt.

p) vid. IO. BVXTORFIVS in *Lex. Talm.* col. 1499.

q) vid. IO. BVXTORFIVS in *Lex. Talm.* col. 984.

r) In

*ſtrum* iam *promotis confertur*: illisque idem eſt ac nobis *Doctor Theologiae.* Eiusmodi MORENV enim ſupra alios Rabbinos auctoritate eminet eorumque quaſi PRAESES eſt. Duas huius tituli rationes IO. BVXTORFIVS r) in medium profert: PRIMA eſt, *ad imitationem Chriſtianorum.* ALTERA, nimia Rabbinorum licentia in dandis libellis repudii, aliisque caſibus decidendis.

§. XI.

Eiusmodi promotus vel Rabbi maximo in honore a Iudaeis habebatur, multisque nominibus celebrabatur. IO. LIGHTFOOTVS refert: Synedrium vigeſies quater quosdam excommunicaſſe על כבוד רב *propter honorem Magiſtri*, i. e. propter debitum honorem *Rabbinis* non conceſſum. Hinc *diſcipuli Magiſtrum* nunquam *nomine proprio appellare ſolebant* s), ſed ſequenti modo: רבי ומורי, *Domine et Magiſter.* Hinc frequentiſſima N. T. dictio: ὁ διδάσκαλος καὶ ὁ κύριος. vid. *Ioh. XII, 13. 14.* Et ſi diſcipulus Magiſtrum ſalutaret, hunc in modum illum dicere oportebat: שלום עליך רבי, *Pax ſit tibi Rabbi*, vel *ſalue Magiſter.* Magiſtri vero ſe inuicem ſic ſalutare ſolebant: *Rabbi, Rabbi* t). Et quoniam tanti faciebant Rabbinum, nunquam ſine comitatu iuuenum proficiſcebatur u).

 §. XII.

r) In *Synag. Iudaic.* pag. 668. ſequ. vbi etiam videri poſſunt *primi titulo Morenu ornati.*

s) SANHEDRIN fol. 100. 1, *Epicureismus eſt, ſi quis Rabbinum nomine proprio appellauerit. R. Iochanan dixit: Cur Gehaſi punitus eſt? Reſp. Quia Magiſtrum ſuum nomine proprio appellauit.* *2. Reg. VIII, 5.* vid. CHRIST. SCHOETTGENIVS in *Horis Hebraicis et Talmudicis*, p. 386.

t) vid. IO. LIGHTFOOTVS in *Hor. Hebr. et Talm.* Vol. II. oper. pag. 357.

u) vid. CHRIST. SCHOETTGENIVS in *Hor. Hebr. et Talm.* pag. 88. ſequ.

x) Hac

## §. XII.

Quanta obseruantia ab aliis Rabbini colebantur, tanta auctoritate prae reliquis quoque pollebant. Quidquid Rabbi dixit aut litteris concepit, id in numero indubitatae veritatis habetur nec illi contradicere quisquis audet x). Hinc legem & Prophetas post se relinquunt; hinc legem oralem, eorum *Talmud* reliquaque Rabbinorum scripta et effata *Codici Sacro* saepius anteponunt y).

## §. XIII.

Locus, vbi doctrinas proponebant, erant *Synagogae:* Sed etiam in *viis* et *itineribus* discipulos instituere solebant. Simulac studiosus Rabbi quendam in via conspiciebat, sequutus est illum. vid. *Ioh. I,* 37. Deinde illum ita affatur: *Magister, an vis vt comiter te in via tua* etc. Eodem modo Pharisaeus quidam hypocrita Christum alloquebatur: Διδάσκαλε, ἀκολουθήσω σοι, ὅπου ἐὰν ἀπέρχῃ, *Matth. VIII,* 19. Quo facto Rabbi ei respondet: *Potes mecum ire*, siue *me sequere*, quae loquutio pariter in N. T. quam frequentissime occurrit; et de rebus diuinis colloquuntur aut Rabbi locum aliquem ex Lege interpretatur. Hinc non tantum legimus, Christum in Synagogis; sed quam maxime in viis cum discipulis et turba eum sequutis

x) Hac de re IO. LIGHTFOOTVS in *Hor. Hebr. et Talm.* Vol. II. oper. p. 357, ex *Babyl. Berac.* fol. 27. 2. sequentia habet: *Qui separatistam se facit a Schola* MAGISTRI *sui et qui aliquid docet, quod non audiuit a* MAGISTRO *suo, is diuinam Maiestatem prouocat vt discedat ab Israele.* conf. CHRIST. SCHOETTGENIVS in *Hor. Hebr. et Talm.* pag. 106. seq.

y) vid. IO. LEONH. RECKENBERGER

tis, de regno suo Sermones instituisse z). In Synagogis Rabbi vel in *solio* vel in *Cathedra* sedebat et a discipulis suis cingebatur. Vsque ad mortem Gamalielis *stetisse* coram *Magistro:* postea vero *sedisse* discipuli dicuntur a). Denique vel ipse *Rabbi* vel interpres quidam verba faciebat, Doctorisque mentem explicabat, dubia discipulorum Doctori, responsionemque illius discipulis referebat b).

## §. XIV.

Obseruandum quoque est, Rabbinos titulis ex obiecto doctrinae desumtis ornatos fuisse. Hinc אמוראים *Amoraim*, hi primae partis Talmud; quae משנה *Mischna* vocatur expositores erant. Hos sequuti sunt סבוראים *Sebburaim* seu *opinionistae*, quorum doctrina ex opinionibus in vtramque partem constabat; tempusque illorum vix sexaginta annos post *Amoraim* durauit. תנאים *Tannaim* s. *Doctores* vel *Auctores Mischnae* et גאונים *Geonim*, siue *excellentes et sapientes Talmudici*, qui post *Amoraim* et *Sebburaim* fuere. גאון *Gaon* itaque dicebatur, qui *totius Talmud Doctor* aut

BERGERVS in *Proleg.* ad *Sacr. Iud. rit. antiqu.* pag. 18. et 10. BVXTORFIVS in *Synag. Iudaica,* pag. 62. seq. et 69. seqq.

z) vid. CHRIST. SCHOETTGENIVS in *Hor. Hebr. et Talm.* pag. 88. seq.

a) MEGILLAH fol. 21. 1. Tradunt Rabbini a diebus Mosis ad RABBAN GAMALIELEM non didicerunt legem nisi stantes. At cum obiisset RABBAN GAMALIEL, aegritudo inuasit mundum; ita vt discerent legem sedentes. Vnde et traditio: Ex quo obiit RABBAN GAMAMIEL defecit gloria mundi. vid. IO. LIGHTFOOTVS in *Hor. Hebr. et Talm.* Vol. II. oper. pag. 500. et CAMP. VITRINGA in *Synagog. Vetere.* Libr. I. Part. I. cap. VII.

b) vid. CAMP. VITRINGA in *Synag. vetere* Lib. III. Part. II. cap. XII.

aut *Magister* erat. Denique *Doctores Tenokot* תינוקות i. e. puerorum, qui infimi erant c).

§. XV.

Varia insuper Iudaei *Rabbinis* vel *defunctis* vel *absentibus* affixerunt *nomina emphatica*, quorum farraginem vide, in CHRIST. SCHOETTGENII *Hor. Hebr. et Talm.* pag. 242. Attamen inusitatum erat nec vllibi legitur in Talmude illos Doctorem vocasse RABBI BONE, teste IO. LIGHTFOOTO in *Hor. Hebr. et Talm.* Vol. II. oper. pag. 554. Hinc cum ille iuuenis *Luc. XVIII, 18.* CHRISTVM affatus RABBI BONE et CHRISTVS ei respondit, *quid me vocas* BONVM *nemo* BONVS *est nisi* DEVS: hac responsione minime CHRISTVS intelligi voluit, *se non esse* DEVM; potius id inuoluit: *dum tu me vocas* RABBI BONVM, *notumque tibi, Rabbinos hoc epitheto non apellari, nemo enim bonus nisi Deus: itaque iam iam cognitionem quandam de me, quod sim verus* MESSIAS *habeas necesse est; alias me non vocasses* RABBI BONE.

§. XVI.

Paucis adhuc de RABBINORVM PRIVILEGIIS agere liceat. *Primo*, immunes sunt ab oneribus et contributionibus publicis nec מִנְדָּה *tributa* nec בְּלוֹא *pecuniam capitationis*, nec הֲלָךְ *decimas prouentuum et iumentorum annuas* dare tenentur. Secus vero se habet cum Rabbino mercaturam exercente: Qui tamen *secundo* in eo reliquos antecedit, quod nullus alius, qui easdem merces, quas ille venales habet, vendere possit, donec Rabbi suos vendiderit. *Tertio,*

c) vid. IO. BVXTORFIVS in *Lex. Talm.* sub vocibus allatis.

*tio*, coram iudicio Rabbini lites prius, quam aliorum deciduntur, dicere enim poteſt: *Rabbinus ego ſum promotus, decidite meam litem primo.* Atque *quarto*, Rabbi cauſſam ſuam proponens coram iudice conſidere iubetur, reliquis ſtantibus d). TANTVM DE RABBINIS HEBRAEORVM.

## §. XVII.

Adiicienda nunc erit perluſtratio *commatis 8. Matth. XXIII.* ὑμεῖς δὲ μὴ κληθῆτε ῥαββὶ, quod B. Lutherus reddidit: **Ihr sollt euch nicht Rabbi nennen lassen.** Ex antedictis iam patet, quid τὸ καλεῖν ῥαββὶ ſignificet; et ex iisdem ſenſus huius effati SERVATORIS noſtri in ſe conſiderati vel quoad verba et phraſes vnicuilibet manifeſtus eſt. RATIO vero illius, vel cur CHRISTVS diſcipulis ſuis prohibuerit: *ne Rabbi vocarentur*, cum tamen IPSE hocce titulo ſe appellare permiſerit, non ſtatim patet; quin immo vt levioris momenti quid nonnullis videri poteſt.

## §. XVIII.

Id quidem verum eſt, *in et per ſe* titulus hic nihil incongrui inuoluit: ſed quidquid reprobatione digni habuit, *ex accidente* illi adhaeſit. SAPIENTISSIMVS SERVATOR nunquam contra rationem egit, nec omnia, quae a Rabbinis dicebantur aut peragebantur prorſus reiecit, quae bona, quae conuenientia, quae ad excitandum et promouendum verum DEI cultum retinuit: quae vero ab vſu ſacro aliena atque per abuſum irrepſerant curſumque Euangelii retardare poterant, aut reſtrinxit aut aboleuit.

C §. XIX.

d) vid. IO. BVXTORFIVS in *Synagoga Iudaica* Cap. XLVI. pag. 671. ſq.

## §. XIX.

Huius rei veritas haud longe lateque quaerenda erit; ex eodem *cap. XXIII. Matth.* adſtrui poteſt. Initio enim capitis commate 2. hunc in modum ſermonem ſuum orditur SERVATOR noſter: *ἐπὶ τῆς μωσέως καθέδρας ἐκάθισαν οἱ γραμματεῖς καὶ οἱ Φαρισαῖοι. παντα οὖν ὅσα ἐὰν εἴπωσιν ὑμῖν τηρεῖν, τηρεῖτε καὶ ποιεῖτε· κατὰ δὲ τὰ ἔργα αὐτῶν μὴ ποιεῖτε, λέγουσι γὰρ καὶ οὐ ποιοῦσι.* Non multum verborum explicationi inhaerebimus; tantum haec monere liceat, vtrumque non *abſolute*, ſed *reſpectiue* eſſe aſſumendum, ſcilicet: Omnia iſta, quae vos ex *ſcriptis Moſis Prophetarumque* et quae *cum illis conſentiunt* ſeruandum docent, ſeruate. Nam multa ex ipſorum ingenio et traditionibus maiorum admiſcebant, quae minime ex Moſe probari aut deduci poterant: quin immo ſaepius cum illo pugnabant. Nec omnes eorum actiones reprobat CHRISTVS; ſed tantum illas, quae tam cum Moſis dictis, quam ipſorum minus conſentaneae erant, quas quidem ipſi praecipiebant; ſed minime executioni dabant.

## §. XX.

Pergit CHRISTVS verſibus ſequentibus redarguendo Doctores Hebraeorum et inter alia com. 7. in eos animaduertit, quod ament in foro ſalutari atque vocari *Rabbi Rabbi.* Cur haec? num illiciti quid in ſe continebat humanitatis aliorum officium? Verba CHRISTI non nudam illam appellationem *Rabbi* perſtringunt; ſed ea, quae cum iſta connexa erant. Scilicet peſſimam illam *φιλαυτίαν*, quam in corde fouebant, quae illis impedimento erat, quo minus quaererent gloriam Patris coeleſtis: ſed propriam;

qua

qua se supra reliquos indoctos atque plebeios maxime elatos esse eosque se longe inferiores existimabant, adeoque spernebant; qua praerogatiuam prae aliis atque priuilegium habere credebant, quo postulare iure possent, vt ipsis reliqui primos accubitus in coenis cederent, primosque consessus in conuentibus offerrent; qua huncce titulum anxii quaerebant, multisque affectibus appetebant: quin immo, quidquid in eorum positum erat potestate adhibebant, quo illum vel legitime et ex merito vel modo illegitimo impetrarent. Vt verbo dicam: taxat Christus peruersum huius tituli vsum, quod illum magis ad ostentationem gloriae, quam in signum meriti scientiaeque in Lege et Prophetis gestiebant.

§. XXI.

Ex hac ratione CHRISTVS sermonem suum ad discipulos dirigens eos adhortatur: *Nolite vos vocari Rabbi.* Neque in hoc titulo Iudaeorum Doctoribus similes vos reddatis, a quorum fermento alio iam tempore vos abstinere inculcaui. Ne animos vestros cultus ille honorificus permulceat, quo illos alii prosequuntur. Quam facile vos imitatores eorum praecipitemini in eosdem mores atque errores. Et quis vobis facultatem docendi largiri potest? minime ab illis hanc impetrare possitis. Docent, quae non sunt DEI: EGO vero vos Doctores non Legis ceremonialis aut traditionum; sed regni MEI et DEI esse volo. A ME salutarem illam Doctrinam percepistis, qua omnes, qui illi locum relinquunt nec SPIRITVI SANCTO resistunt ad beatam vitam peruenire possunt. *Vnus est Doctor vester*

## §. XIX.

Huius rei veritas haud longe lateque quaerenda erit; ex eodem *cap. XXIII. Matth.* adſtrui poteſt. Initio enim capitis commate 2. hunc in modum ſermonem ſuum orditur SERVATOR noſter: *ἐπὶ τῆς μωσέως καθέδρας ἐκάθισαν οἱ γραμματεῖς καὶ οἱ Φαρισαῖοι. παντα οὖν ὅσα ἐὰν εἴπωσιν ὑμῖν τηρεῖν, τηρεῖτε καὶ ποιεῖτε· κατὰ δὲ τὰ ἔργα αὐτῶν μὴ ποιεῖτε, λέγουσι γὰρ καὶ οὐ ποιοῦσι.* Non multum verborum explicationi inhaerebimus; tantum haec monere liceat, vtrumque non *abſolute*, ſed *reſpectiue* eſſe aſſumendum, ſcilicet: Omnia iſta, quae vos ex *ſcriptis Moſis Prophetarumque* et quae *cum illis conſentiunt* ſeruandum docent, ſeruate. Nam multa ex ipſorum ingenio et traditionibus maiorum admiſcebant, quae minime ex Moſe probari aut deduci poterant: quin immo ſaepius cum illo pugnabant. Nec omnes eorum actiones reprobat CHRISTVS; ſed tantum illas, quae tam cum Moſis dictis, quam ipſorum minus conſentaneae erant, quas quidem ipſi praecipiebant; ſed minime executioni dabant.

## §. XX.

Pergit CHRISTVS verſibus ſequentibus redarguendo Doctores Hebraeorum et inter alia com. 7. in eos animaduertit, quod ament in foro ſalutari atque vocari *Rabbi Rabbi.* Cur haec? num illiciti quid in ſe continebat humanitatis aliorum officium? Verba CHRISTI non nudam illam appellationem *Rabbi* perſtringunt; ſed ea, quae cum iſta connexa erant. Scilicet peſſimam illam *φιλαυτίαν*, quam in corde fouebant, quae illis impedimento erat, quo minus quaererent gloriam Patris coeleſtis: ſed propriam;

qua se supra reliquos indoctos atque plebeios maxime elatos esse eosque se longe inferiores existimabant, adeoque spernebant; qua praerogatiuam prae aliis atque priuilegium habere credebant, quo postulare iure possent, vt ipsis reliqui primos accubitus in coenis cederent, primosque consessus in conuentibus offerrent; qua huncce titulum anxii quaerebant, multisque affectibus appetebant: quin immo, quidquid in eorum positum erat potestate adhibebant, quo illum vel legitime et ex merito vel modo illegitimo impetrarent. Vt verbo dicam: taxat Christus peruersum huius tituli vsum, quod illum magis ad ostentationem gloriae, quam in signum meriti scientiaeque in Lege et Prophetis gestiebant.

## §. XXI.

Ex hac ratione CHRISTVS sermonem suum ad discipulos dirigens eos adhortatur: *Nolite vos vocari Rabbi.* Neque in hoc titulo Iudaeorum Doctoribus similes vos reddatis, a quorum fermento alio iam tempore vos abstinere inculcaui. Ne animos vestros cultus ille honorificus permulceat, quo illos alii prosequuntur. Quam facile vos imitatores eorum praecipitemini in eosdem mores atque errores. Et quis vobis facultatem docendi largiri potest? minime ab illis hanc impetrare possitis. Docent, quae non sunt DEI: EGO vero vos Doctores non Legis ceremonialis aut traditionum; sed regni MEI et DEI esse volo. A ME salutarem illam Doctrinam percepistis, qua omnes, qui illi locum relinquunt nec SPIRITVI SANCTO resistunt ad beatam vitam peruenire possunt. *Vnus est Doctor vester*

nempe CHRISTVS.
quis prae altero princi
rum Iudaicorum qua
discipuli vnius Docto
fratres e), qui omnes

§

Sequentia capitis h
STVM in primis ad an
ctum habuisse; cum
pulos iussit. Oppon
tulorum arrogantiae l
pulis maxime comm
ram nauare deberent
studium eo intendere
que non *absolute* CHI
sed *respectiue.* Ne eod
saei desiderarent voca
que gloriae ardorem

MINIME ERGO IN
PROHI

e) iuxta idiotismum Heb
rum, qui discipulos suos voc
*filios doctrinae.* vid. IO. REC
BERGERVS in *Sacr. Iud*
*rit. antiqu.* Part. II. cap. I. §

f) Quae hinc contra susc
dos honorum titulos Acade



tvs. Quid inde titulorum? Quare
principatum ad imitationem Docto-
m quaerere cupit? Vos estis omnes
Doctoris; hinc commilitones atque
omnes ab vno ore meo dependent.

§. XXII.

capitis huius quoque ostendunt, CHRI-
is ad ambitionem Rabbinorum respe-
; cum abstinere ab hocce titulo disci-
Opponitur enim *vers. 11. & 12.* huic ti-
antiae humilitas, quam Christus disci-
commendatam esse cupit. Huic ope-
eberent, omnemque animum atque
tendere, quo humiles euaderent. Ita-
*ite* CHRISTVS *Rabbi titulum* damnat;
Ne eodem animo ac affectu vt Phari-
nt vocari *Rabbi*, ne illorum fastum at-
dorem aemularentur.

GO IN MAGISTRVM PROMOVERI
PROHIBITVM EST. f)

num Hebraeo-
s suos vocabant
. IO. RECKEN-
*Sacr. Iudaeor.*
I. cap. I. §. 562.
ontra suscipien-
os Academicos
proferuntur ea refutata vide a B.
VAL. ALBERTI in diss. *de honoribus Academicis* Lips. 1697. et
B. CHIST. KORTHOLTO in
Programmate singulari *ad Doctoratum* B. WASMVTHI, Kilon.
1665. 4.

